UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

L. Annæi Senecæ Philosophi Opera, Qvæ Exstant Omnia

Seneca, Lucius Annaeus <Philosophus>

Antverpiæ, 1605

Commisa Vel Omissa.

urn:nbn:de:hbz:466:1-53700

Visual Library

COMMISSA VEL OMISSA.

NAM homines ſumus, & labi, & cæcutire faciles; denique neque ſemper intenti, & vnius illius curæ. Ego ſcio, & alius vix credat, quàm ſæpe hæc ſcriptio interpellata ſit valetudine, occupatione, ſcriptione aliâ. Quid verba facio? culpas meas ſiue operarum, tum & omiſſiones paucas apponam: omnes qui poſſim? & ad tam vberem ſcriptorem ſemper erit, quod ego aut alius dicat. Ad rem.

PAG. 17. *lin.* 14. *in Notis. poſt verba*, ſub ſingulis villicis. *adde: Faciunt hûc illa ex Controu.* v. *lib.* v. Arata quondam populis rura, ſingulorum ergaſtulorum ſunt: latiuſque nunc villici, quàm Reges imperant.

PAG. 53. *lin.* 24. *in Not. poſt verba*, & quidem maxima eſſet. *adde: In Controuerſiâ* v. *libri* II. Veniunt in domum crudeliſſimi carnifices, in quorum vultibus erant tormenta.

PAG. 86. *Poſt Notam* 199. *hanc inſere:* AD DVOS FORTVNA REDEGIT.] *Narratiuncula haud ſatis fida vel apta. Nam dictum matris ad Gracchos duos, Tiberium & Caium, iam amiſſos reſpicit: atquin ij duo & ſoror vna, è duodecim ſuperfuerant: & quomodo ergo nunc quoque ad duos redacta? Examina, & Plutarchum in Gracchis adi.*

PAG. 168. *Poſt Notam* 337. *inſere:* SOLONEM.] *Qui ipſe de ſe:*

Ἐργα δ᾽ ἐκυπρογενῦς νῦν μοι φίλα, ϗ Διονύσου:
Et Bacchi & Veneris ſunt nunc mihi munia cordi.

PAG. 173. *lin.* 3. *in Notis:* Manuduct. III. Diſſert. III: *Corrige*, Diſſert. XI.

PAG. 175. *in Notâ* 59. *reſcribe:* SALVA SVNT.] *Valeat, ſuâ vi ſe tuentur & ſeruant: ſi recta. Non diſplicebit repeti verbum*, virtute ſuâ ſaluâ, ſalua ſunt.

PAG. 192. *in Textu, lin.* 2. Quamdiu mori paſſus (non) eſt? *Negatio delenda, & hoc Nota noſtra oſtendit.*

PAG. 297. *in Notâ* 101. *ſcribe & adde:* IRRITET.] *Apud Senecam patrem Controu.* VII. *libri* II. Erratis iudices, ſi non maritum ad ſollicitandam matronam putatis irritamentum. *Nam adulter irritatur &c.*

PAG. 300. *in Notâ* 141. eo præſertim tractu? *adde: Potuit & Sociali bello eueniſſe, ex Flori* III. *cap.* XVIII.

PAG. 301. *Notâ* 149. *poſt verba*, perduellium Marſi, *adde*: & iſte Vettius inter duces Appiano atque aliis.

PAG. 374. *poſt Notam* 101. *inſere:* VT MATRONÆ.] *Talis apud patrem Senecam ſenſus, Controu.* VII. *libri* II. Vt adultera tenui veſte perſpicua ſit: & nihil in corpore vxoris ſuæ plus maritus, quàm quilibet alienus agnouerit.

PAG. 487. *in Notâ* 14. Nam *perfodere* vix conuenit. *Scribe*, Perſedêre.

PAG. 626. *in Textu lin.* 24. vtique alium. Aliud alio die. *Malè voces repetitæ, & ſcribe.* vtique aliud alio die.

PAG. 670. *in Notâ* II. *adde poſt*, Plinium lib. XV. cap. XIIII. *Denique apud Senecam patrem, Controu.* v. *lib.* v. Alunt in ſummis culminibus mentita nemora, & nauigabilium piſcinarum freta.

SATIS *nunc iſta. erit qui è libris melioribus aliqua fortaſſe ſuggerat: quod velim, ſed non inſultare nobis, & Fortunæ hoc beneficium, non ingenij laudem ſcire.*

INDEX